



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Quarta causa, malignæ mentes & linguæ, etiam Dei facta & dicta  
carperent & condemnarent, similia in aliquo, factum & dictum hominum, si  
non scirent facta & dicta esse à Deo. Cap. IV. & V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)



partem animæ, quæ ex illis malis tristitiâ affliciebatur & dolore. Qua ratione inquit Pineda sect. 6. in c. 3. Iob & Sanctius in comm. & Christus D. *tristitiam mortisque timorem in sensitua parte expressit* Matt. 27. 45. & vehementiam doloris, & internæ desolationis, cum clamans voce magna dixit Mar. 15. 34. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Non est autem contra fortitudinem aut virtutem, dolorem & gemitum exprimeret, ut benè contra Stoicos apatriam laudantes & analgesiam, dicit Cicero 2. Tuscul. & Taurus Philosophus, apud Gellium l. 12. c. 5. *Vt enim apud Q. Curtium l. 6. ille ait: suo iure liberior est in mutuas querelas dolor.* Et causam dat Philosophicam Aristoteles sect. 27. probl. cur qui dolent clamant. Deinde etiam si Iob ex iudicio rationis id dixisset, benè dixisset, ut sect. 7. ostendit Pineda, addens & probans sect. 8. Iobi querelas ex charitate in Deum esse profectas. Ita excusanda sunt omnia. Sic excusandus Ieremias qui hæc, & quidem Deo inspirante scripsit: c. 20. versu 14. 15. 16. 17. 18. *Maledicta dies in qua natus sum: dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir, qui annunciat Patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus: Sit homo ille, ut sunt ciuitates quas subuertit Dominus, & non penituit eum: audiat clamorem mane, & ululatum in tempore meridiano: qui non me interfecit à vulua, ut fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus aternus. Quare de vulua egressus sum, ut viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei:* Hæc tamen verba excusantur & ab antiquis Authoribus, à Clemente Alexandrino l. 3. Strom. c. 8. & ab Origene l. 3. in Iob & in simili à S. Thoma 2. 2. q. 76. a. 2. ad 4.

## CAPVT QVARTVM.

*Discant temerariis iudiciis dediti, ex Dei dictis & factis non iudicare Dei seruos, quia in sanctissimis Dei factis & dictis, habent exempla dictorum & factorum Dei, quasi non scirent à Deo dicta & facta esse, malignè iniquo suo iudicio & lingua condemnarent similia dicta & facta bona Dei seruorum.*

30. **I**Ta nos decet verbis hominum (qui non possunt esse tam circumspècti, ut est Spiritus S. qui dictauit S. Scripturam) si quando videntur sonare aliquid quod offendere, vel nocere possent, bonum sensum tribuere & in bonam partem interpretari: sicut interpretari debemus res bonas in S. Scriptura descriptas: aliàs si ita procederemus uti solemus cum fratribus nostris, diceremus (quod absit) Deum esse mendacem, in promissis suis inconstantem, aliud promittentem, aliud facientem. Nam Gen. 46. v. 4. di-

xit proficiscenti Iacob in Ægyptum: *Ego inde adducam te reuertentem.* Et antea Gen. 28. 15. idem ei promiserat, tamen Iacob inde non est reuertus, sed ibi obiit Gen. 49. vlt. Sic olim Porphyrius teste S. Hieronymo l. 2. contra Pelagianos, Christum dicebat esse mentitum, quia Ioan. 7. v. 8. dixit: *Ego non ascendo ad diem festum hunc,* cum tamen ibidem v. 14. dicatur, *ascendisse.* Sicut ergo verba Dei, qui est infinite sapiens, & prudens, & ut loquar more nostro, consideratus & circumspèctus in omnibus factis suis infinito modo, possent detorqueri in malam partem, etsi immeritò, quanto magis dicta hominum, qui nec tenentur, nec possunt esse tam perfecti uti est Deus. Ideo etsi videantur malè sonare, in bonum sensum couertantur. Etsi enim res hæc summopere necessaria in constituta cum tot personis, tam sæpè distractis, tam occupatis. Vnde non sine causa S. P. Ignatius post præxum suis Exercitiis titulum, ante omnes meditationes hoc primo loco monitum posuit: *Soponendum est,* inquit, *Christianum vnumquemque debere promptiore animo sententiam seu propositionem obscuram alterius in bonam trahere partem, quam damnare. Si verò nulla eam ratione tutari possit, exquirat dicentis mentem.* Si hoc monitum necessarium iudicauit S. Pater pro tempore Exercitiorum Spiritualium, quo solent esse tam is qui Exercitia dat, quam qui accipit, valde considerati, valde circumspècti, & valde propensi ad bona, & magis auersi à malis, quam antea: quanto magis est necessarium aliis temporibus, quibus non ita consideratè loquimur, & conuersamur.

Quod autem dico de non damnandis aliorum dictis temerè, idem dictum volo de non damnandis aliorum scriptis, siue illa sint epistolæ, siue res in scholis dictari solitæ, siue exercitationes literarum humaniorum: ut sunt carmina, orationes, epistolæ, compositiones, præfationes, dialogi, declamationes: nihil condemnemus temerè, non iudicemus, non damnemus iudicium, stylum, verba, phrasas, sententias, nexum, elocutionem, actionem, eruditionem, historias, & alia quæ damnata si resiciantur ab harum rerum authoribus ij valde offenduntur & perdunt religiosæ charitatis, ac mutæ benevolentix iucunditatem. Nam certissimum est, si quis velit malitiosus esse, potest omnia scripta etiam sanctissima taxare, ipsam quoque Scripturam.

Nam ut omittam Hæreticos, qui eam in malos sensus detorquent, & quandoque adeo acutè & apparenter, ut videatur pro his loqui. An non alia quoque Scripturæ matæ ea quibus nulla est inter tot Religionum diuersarum sectatores contentio, possunt à temerariis iudiciorum censura esse libere? Nequam. Vbiq; inueniet pruritus iudicij & linguæ malignæ quod carpat, v. g. 1. Reg. 7. v. 13. 14. dicitur:



dicitur: *Nec apposerunt vltra (Philistæi) vt venient in terminos Israël.* At 1. Reg. 10. v. 5. & cap. 17. v. 1. & 23. v. 27. 28. dicuntur postea inuasisse terminos Israël, maxime cap. 13. v. 3. dicuntur occisi in Gabaa, quæ erat Israëlitarum 1. Reg. 7. v. 1. & c. 13. v. 15. Sic 1. Reg. 15. v. vlt. dicitur: *Non vidit Samuel vltra Saul vsque ad diem mortis suæ.* Atque ibid. cap. 19. v. vlt. *Saul prophetauit coram Samuele, immo & in domo eius v. 22.* Sic 2. Reg. 23. v. vlt. *Omnes (scilicet viti præstantes, qui cum Dauide fuerunt) triginis septem.* At 1. Par. v. 11. & 12. plures numerantur. Vt omitam plurima alia loca his similia.

Iam si quis nostrum talia scriberet, an non condemnaretur vt mendax? an non diceretur ei: *mendacem oportet esse memorem?* Ita sanè. Sicut ergo non decet nos damnare Scripturam mendacij vel lapsus; ita proportione quâdam, nec scripta aliorum, qui nec sunt, nec esse possunt tam accurati, tam circumspecti in scribendo, vt fuerunt Scriptores librorum Sacrorum à Spiritu S. dictatorum.

Quod dixi de verbis & scriptis, idem dicendum est de factis aliorum, ne iudicentur, condemnentur vt temerè. Dixi supra de hac re aliquid, addam nunc alia, vt aperiam oculos qui res similes in aliis grati censurâ notant, quandoque etiam boni & spirituales. Et hi aliquando, qui sibi videntur spirituales & deuoti, sunt liberiores in damnandis aliis, vt obseruauit S. Bonaventura in stim. diu. amoris c. 10. Verè enim scripsit S. Ioannes Climacus gr. 11. *Eos quoque qui spirituales videntur, nonnunquam subreptis indicare proximos.*

Si quis nunc siue Superiorum, siue Magistrorum in Schola, visis suorum domesticorum vel subditorum defectibus & insolentis, irâ accensus, clepsydram quâ manu teneret, proiiceret in terram & confringeret, condemnaretur magnæ immortificationis & impatientiæ, præsertim si adhuc delinquentes scutica vel virgis, vsque ad effusionem sanguinis cædi iuberet. Atqui plus fecit Moyses, qui vt legitur Exod. 32. vers. 15. 16. 25. 26. conspectis subditis suis, choreis Idololatricis vacantibus, irâ inflammatus, confregit tabulas legis lapideas, à Deo acceptas, & ab ipso Deo ex vtraque parte scriptas, factasque opere Domini: vt ait Scriptura. *Iure Moyses indignatus est,* inquit S. Ambrosius lib. de Noë & Arca cap. 13. differens de hac fractione tabularum *ne haberent diuina priuilegia qui non deserrent obsequia.* Et tamen post hoc factum nec Deus illum reprehendit, sed iterum alias tabulas dedit, & à Spiritu S. bene omnia interpretante, appellatus est, *mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Num. v. 3. Etsi non contentus fractione Tabularum Legis, eodem tempore, occiderit per filios Leui quasi 23. millia eorum, contra quos iratus fuerat, & postea, vt ponderauit S. Chrysostomus

Lancicij Ophys. Tom. 2.

l. 3. de proud. *Cum ab amalecitis alij essent in bello concisi, & ante bellum isrud & bilis & gula causâ maxime consumpti. Nam occidit, inquit Psalm. 77. plurimos eorum cum adhuc esca esset in ore eorum: ingenti tamen hac illorum cade inspectâ, istos ipsos nouo aliquo ac peregrino genere mortis vitam finire precatus est. Ita alij quidem erumpente igne repente, incendio conflagrauerunt, alij repentino terra biatu absorpti sunt: neque pauci aliquot, sed plura quam quindecim hominum millia. Postea cum fornicati essent cum filiabus alienigenarum, & iniurati essent Beelphegor eos rursus se inuicem concidere ac necare iussit: Interficite inquit vnusquisque proximum suum qui iniuratus est Beelphegor.*

Nec tamen ab vilo suorum iudicatus est Tyrannicè gubernasse, sicut nunc iudicaretur Superior, aut Præfectus Scholarum vel Magister, si grauiore solito poenâ culpam aliquam castigaret, vel iracundè aliquem increparet ob defectum commissum.

Si quis nunc tot de se laudes proferret quod S. Iob facit c. 27. 6. *Iustificationem meam quam cæpi teuerè non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea: & c. 29. 2. 14. 15. 16. 21. 22. & sequi. Iustitiâ indatus sum, & vestiui me, sicut vestimento & diademate: oculus sui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam: qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum: verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum: expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum: lux vultus mei non cadebat in terram: si voluisssem ire ad eos, sedebam primus: cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen merentim consolator: & ferè toto c. 31. multa scribit in sui laudem redundantia.*

Et si ita contra suos aduersarios exposculetur, vt ille fecit cap. 12. & 13. & 16 & 19. & 30. & 6.

Et, si ita coram Deo suam innocentiam, & eius flagella suis peccatis maiora commemoraret, vt ille fecit c. 6. 23. & c. 10. & 17. 2. haberetur pro superbo, pro impatiante & itreuerente erga Deum, sicut habitus est à suis c. 32. & 33. 8. & sequi. & cap. 34. & 35. & 36. Rogo vide loca citata.

Et quamuis videtur Deus ipse contra Iob locutus c. 38. vnde Iob v. 33. & sequi. *se humiliat, vt ille c. 42. 3. 6. tamen à Deo defenditur c. 42. 7. & sequi.*

Sed mirabilis est hoc, quod ipse Deus, Inspirator Prophetarum, qui vt in Sacro ferè quotidie dicimus: *Locutus est per Prophetas, prædixit Dauidi, 2. Reg. 7. n. Regem dabo tibi, ab omnibus inimicis tuis, & statim capite sequenti teccentur bella, quæ gessit cum Philistæis v. 1. cum Moabitibus v. 2. cum Rege Soba, v. 3. (habente in exercitu suo viginti millia peditum) v. 4. cum militibus missis ex Syria Damasci,*

Ggg vers. 5.



vers. 3. quorum viginti duo milia cecidit. Et cap. 10. pugnavit cum Ammonitis v. 6. 7. 8. qui in suo exercitu contra David habebant 20000. peditum, & 13000. virorum. Et iterum pugnavit cum Syris v. 17. ex quibus occidit 700. curus & 40000. Equitum, & fugavit 8000. ex residuo exercitu. Præter hæc non habuit requiem à proprio filio, qui eum (quod alij hostes non fecerunt post Saulis mortem) in fugam coniecit 2. Reg. 15. 14. & sequi.

Postea Seba excitavit contra David novam coniurationem & bellum, separatusque fuit hoc modo omnis Israël à David, qui dixit se magis à Seba afflictum quam ab Absalon 2. Reg. 20. 1. 2. 6. Postea iterum Davidem inquietarunt Philistæi bello moto 2. Reg. 21. 15. in quo vitæ periculum ab hosti intortâ subiit vers. 16. Post hæc, novum bellum fuit gestum in Geth contra Philistæos v. 18. Deinde aliud bellum contra eosdem in quo eluxit Adeodatus v. 19. Præter hæc, novum bellum fuit in Geth v. 20. Ita Scriptura hoc solo capite 21. expressit ait quatuor prælia & bella gessisse Davidem, in aliis verò capitibus supra citatis recensentur octo bella. Istane est requies: pugnare duodecies cum tot inimicis, quot nec nunc Augustissimus Imperator noster habet: & tamen Deus verum prædixit, etsi difficultas sit in interpretatione prædictionis diuinæ. Sicut ergo hoc benè interpretamur, & merito, ita interpretemur benè omnia dicta & facta aliorum exemplo B. Aloylij & S. Ignatij infra ponendo.

40. Aliud exemplum habemus Matth. 1. v. 17. vbi S. Evangelista Matthæus, texens Genealogiam Christi, ait: *Omnes generationes à David vsque ad transmigrationem Babylonis fuisse 14. cum tamen ex l. 4. Regum 8. 24. & ex c. 11. 2. & ex c. 12. 21. & ex c. 14. 21. & ex 1. Par. 3. 11. 12. & ex 2. Paral. 26. 1. evidenter constet, generationes à S. Matthæo citatas non tantum 14. sed 17. fuisse, quia tres omisit. Nam etsi Matthæus versu 8. dicat à Ioram fuisse genitum Oziam, tamen aperte constat ex locis iam citatis, à Ioram non esse genitum Oziam, sed Ochoziam; ab Ochozia verò genitum esse Ioram: à Ioram genitum esse Amasiam, ab Amasia genitum esse Azariam: qui alio nomine vocabatur Ozias, 2. Paral. 26. 1.*

41. Si quis nunc scribens ad aliquem, scriberet, se esse dilectum Dei, iactantia id adscriberetur, at S. Ioannes non semel de se dicit in Euangelio, à se scripto pro totâ Ecclesiâ, non pro vno particulari: *Hic est Discipulus, quem diligebat Iesus.* Nec vllus id ægrè tulit.

42. Sic, si quis nunc alicui diceret, quod Paulus dixit Elime Mago Act. 13. 1. 10. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitie, non desinu subvertere vias Domini rectas &c.* Deus bone, quas non subiret censuras, si ergo eiusmodi facta & dicta, non mererent vllam

reprehensionem, nec similia improbari debent, si ab aliquo nostrum proficiscerentur, nec enim possumus & tenemur esse sanctiores Christo & Apostolis eius, & esse magis circumspecti in loquendo quam illi.

Si quis nunc diceret, se totâ vitâ nunquam deliberatè peccasse, vel si quis in publica concione diceret, de se, quod virginitatem illibatam Dei beneficio conservaui, condemnaretur tanquam superbus, & se ac sua iactans. Hoc vtrumque dixit, primùm Romæ P. Rectori Collegij Angelici; secundò in publica concione Capuæ in Cathedrali templo, Cardinalis Bellarminus, quam ob rem, cum fuisse scandalizatus quidam Canonicus, Deus volens ostendere, benè id & cum gustu Dei dixisse Bellarminum, splendore caelesti eius faciem irradiavit; quo viso Canonicus, suum iudicium corripuit, & hoc iururando testis est, in Processu pro Canonizatione Bellarmini, factò auctoritate Apostolicâ in quo id legitur confirmatum etiam ibidem testimonio alterius, scilicet Superioris PP. Theatinorum.

## CAPVT QVINTVM.

*Ostenditur aliis exemplis & dictis sanctissimis Dei, & Christi Domini, ac sanctorum, omnia esse benè interpretanda, & excusanda, nisi sint manifestè mala.*

SI quis nunc videret vel Superiorem in Domicilio, vel Procuratorem in pago vel Concionatorem aut Præfectum templi in templo, vel Præfectum Scholarum aut Magistrum in Schola, vel cocum in culina arrepto aliquo fine, inuadentem alios, & euerentem mentes & citas, & expellentem alios, condemnaretur tanquam impatientissimus, & intollerabilis. Atqui Christus Dominus, qui de se dixerat Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde:* simile quid fecit, quando Ioannis 2. vers. 14. & 15. Templum ingreßus, factò quasi flagello de funiculo omnes vendentes oves & boues & columbas (etsi essent res necessariae pro sacrificiis) eiecit oves quoque & boues & nummulariorum effudit as & mentas subuertit. de quo tamen prædixit Iaias, *linum fumigans non exinguet, arundinem quassatam non confringet, nec audietur in plateis vox eius c. 19. 9. Qui auctus, etsi solent esse in hominibus effectus magnæ impatientiæ & ira & in mortificatarum passionum. Discipuli tamen Christi, edocti benè interpretari omnia, quæ admodum ibidem scribitur v. 17. *reuerati sunt eius, quia scriptum est (Psal. 68 v. 10.) zelus domus tue comodat me.* Sunt enim multi actus prolixius similes, in exteriori specie, qui & à virtutibus & à vitis proficiscuntur, vbi tamen Christiana viget charitas, quæ vt ait Apostolus 1. ad Corin.*



rinth. 13. Non cogitat malum & omnia bona credit de aliis, eos, non vitio sed virtuti adscribit.

45. Similiter, si quis nunc aliquos talibus verbis impeteret: *Progenies viperarum: nos ex patre diabolo estis: Matth. 3. 7. vel illa: Vade retro sathana, scandalo es mihi Matth. 16. 23.* haberetur pro summo colerico, & tamen priora verba dixit Christus Iudæis, quorum conversioni studebat, posteriora dixit charo suo Discipulo, & quidem eo ipso tempore, quo illi primatum Ecclesiæ promisit, & dixit ea audientibus aliis Coapostolis, apud quos necessario illi erat concilianda autoritas tanquam futuro eorum Superiori, apud quos per tam severam increpationem Christi, poterat vilescere Petri persona.

46. Si quis nunc de aliquo proferret propositionem negatiuam sine alia explicatione, & propositioni tali opponi possit actus illi proferus contrarij, haberetur a censoribus, vel mendax, vel malignus, vel inconsideratus in loquendo, v.g. si quis diceret de aliquo Magistro, *iste Magister non studet, non parat se pro lectio nibus, non attendit suis discipulis, non habet disciplinam in sua Schola,* & contraria his aliquo modo saltem certissima & perfectissima omnibus essent, subiret illam quam dixi censuram. Atqui Christus consideratissimus in loquendo, de Ioanne dixit, *Matth. 11. 18. Neque manducans neque bibens: cum certum sit eum & manducasse & bibisse, alioqui viuere non potuisset.* & dicitur in Euangelio eum *met syluestre comedisse & alia quadam.* Simili ergo modo, etiam horum verba pie interpretemur. Vti & illa Deiparæ: *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te:* quæ verba si ad literam accipiamus vera non sunt quia Ioseph nō fuit talis Christi pater, sicut Maria fuit eius mater; tamen sanctè & benè dicta. Simili ergo modo aliorum dicta & facta benè interpretemur.

47. Si quis nunc nostrum in aliqua Missione, iret ad prandium nuptiale, & deficiente vino, ab aliquo amico procuraret, pro conuiuiis aliquot vrnas generosi vini, Deus bone quid non audiret proclamaretur tanquam vini porator, & cooperato ebrietatis & intemperantiæ: Christus tamen Dominus id fecit, & secum duxit verecundissimam Matrem & Discipulos, & primà vice vsus potestate publicè patranda miracula, in sex hydriis multiplicauit vinum in copiâ ingente. Nam singulæ hydriæ capiebant metretas, id est mensuras binas vel ternas Ioan. 2. 6. Accipiamus numerum minorem, ita vt singulæ tantum binas metretas caperent, Metreta autem vt vult Budæus lib. 5. de asse, ex Dioscoride lib. 5. continet congios decem, vel vt putat S. Epiphanius lib. de ponderibus & mensuris, duodecim. Congius autem continet sex sextarios, foliettas octo (inquit noster Cornelius in Ioan. 2. 6.) Atque ita decem congij, sexaginta sextarios valent, inquit Barradius noster tom. 2. *Lancij Opusc. Tom. 2.*

li. 3. c. 2. At Georgius Agricola lib. 2. de mensuris græcis, & Iansenius ex Roberto Cenali qui post Budæum accuratius scripsit de mensuris, vni metretarum tribuunt congios 12. id est, sextarios 72. Atticos. Nam Congius constat vti dixi sextariis 6. Itaque iuxta Budæum si singulæ hydriæ capiebant tantum metretas binas, cū fuerint 6. hydriæ in iis continebantur Sextarij 720. At iuxta Agricola sex hydriæ continebant, iuxta mensuram græcam, sextarios 862. At vt idem ait lib. 10. de mensuris externis, apud Syros vna metreta erat sextariorum Italianorum 120. quod si metretæ illæ erant Syræ (est enim Iudæa pars Syriæ) sex hydriæ continebāt sextarios 1440. Vnde sequitur si metretæ erāt Syræ, Christus Dominus dedit eis sextarios 1440. hoc est nostras Vrnas 11. & 32. sextarios. Si erant græcæ, iuxta Agricola dedit sextarios 862. id est vrnas nostrates 6. & 94. sextarios. Iuxta Budæum verò, qui pauciores attribuit sextarios vni metretæ, dedit sextarios 720. hoc est vrnas nostrates 5. & 80. sextarios; vna enim nostra habet pinas 32. seu sextarios 128. in pinta enim sunt sextarij 4. Cum autem dicat Euangelista iuxta expositionem Caietani & Toleti, quasdam ex hydriis continuisse in ternas metretas, adhuc maiorē nuptiali quàm dixi vini copiam suppeditauit Christus Dominus, temperantiæ & sobrietatis & omnis virtutis irreprehensibilis Magister. Loquor hic de vna Bohemica vbi hæc scripti, nesciens quam magna sit vna in alijs Germaniæ prouincijs.

33. Obseruat Cornelius loc. cit. *Sextarium fuisse triplicem, scilicet Romanum, qui continebat 20. vncias aque vel vini, Atticum, qui quindecim: & Hebraicum qui tredecim duntaxat vncias continebat, id est quæ erat quod Hebr. Log. Hic autem, Hebraeus accipiendus videtur Cornelio. Quare metreta continens 72. sextarios tredecim vnciarū continebat 72. libras & totidem vncias (libram enim, accepit Cornelius vulgarem duodecim vnciarū) quæ vncia efficit sex libras, vt vniuersim fiat 78. libra. Quare metreta continebat Boccales Italianos tredecim & foliettas duas. Vnum enim boccale continet quatuor libras & quatuor vncias: id est vncias 64. Folietta verò est quarta pars bocalis, continens vncias 16. Hydria ergo continens duas metretas continet 27. boccales. Sex ergo hydriæ continebant 162. boccales, tantum ergo vini ex aqua hic effecit Christus. Si hydriæ des tres metretas, qualibet hydria continebat 40. boccales, & duas foliettas: quare sex hydriæ continebant 240. boccales cum duodecim foliettis, puta penè integram vini botellam: Botta enim Romana continet boccales 256. Sic ergo penè botellam vini hic in instanti produxit Christus. Hæc Cornelius.*

Cum ergo omnis Christi actio, vt ait S. Basilius, sit nostra institutio, si quis Superior vellet (quod ei non suaderem ab linguas censorias) non ad æqualitatem, sed ceterisimo gradu minus, Christum hac in re imitari, multa grauius pateretur.



48. Si nunc aliquis habitus pro sancto & prophetante, prædiceret quod postea non eveniret ad literam prout prædixit: haberetur pro illuso; tamen Christus Matth. 12. 40. prædixit *se fore in corde terra tribus diebus & tribus noctibus*: Cum tamen solâ nocte feriam sextam subsequente & Sabbatum, in tertæ corde fuerit, & mors contigerit eius in exitu feræ sextæ, & duravit ad noctem Sabbati; ad tertium Dominicum diem non peruenit, quia surrexit ante ortum diei Dominicæ. Sicut ergo hæc dicta bene interpretamur additis bonis explanationibus, ita & humana sunt bene explicanda, cum homines non possint esse tam circumspecti in sermone uti Christus.
49. Non arguendi etiam mendacij si qui quod vnus dixit vel fecit, dicant à pluribus dictum vel factum referendo aliquid. Sic enim quod vnus Propheta dixit, à pluribus dictum Scriptura narrat Matth. 2. 23. & cap. 26. 56. Ioan. 6. 45. Act. 13. 40. cap. 15. 15. ut bene observavit Maldonatus in c. 2. Matth. v. ult.
50. Si quis modo vel ex corde vel ironicè & per contemptum diceretur habere spiritum propheticum, & prædiceret Romam post duos menses subuertendam, & elapsis duobus mensibus id non contingeret, haberetur pro illuso à demone & pro falso Propheta; tamen legitimus verum Prophetam Ionam, à Deo missum & Dei iussu prædixisse: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur* Ionæ 3. 1. 2. 3. 4. nec tamen subuersa est, Ionæ 4. Sic Isaias à Deo missus ad Regem Ezechiam, prædixit illi mortem, nec tamen mortuus est, sed addidit illi Deus quindecim annos vitæ, idque miraculo retrocedentis solis Deus illi confirmavit, 4. Reg. 20.
51. Si quis nunc Superior noster vel Rex aut senator primarius saltaret in processione Corporis Christi, ante Venerabile Sacramentum, haberetur pro leui; vel stulto: Dauid saltauit, ante Arcam cum esset publica persona, Rex gloriosissimus & quidem non in regio vestitu, sed in sacerdotali seu clericali ephod lineo indutus, 2. Reg. 6. 14. & stola byssina 1. Par. 15. 27. Quod placuisse Deo apparet, quia Deus sterilitate puniuit Michol, quæ eum ob id irriserat, 2. Reg. 6. ultimo, tum quia S. Gregorius 37. Mor. c. 27. ait, *se eum magis mirari, saltantem quam pugnantem*, laudans hoc eius factum, in quo seipsum vici. Quid simile edidit S. P. N. Ignatius, dum iussus priuacim saltare more Cantabrico, suo saltu reduxit ab amentia ad sanam mentem Ortizium Oratorem Regis Hispaniæ in Monte Cassinate, delirare incipientem, in prima hebdomada Exercitiorum quæ ei dabat S. P. Noster, factus iuxta morem & phrasim Apostoli: *Omnia omnibus, ut omnes Christo lucrifaceret & faceret saluos* 1. Cor. 9. 21. 22.
52. Si quis nunc Concionatorum vel Exhortatorum domesticorum aut Professorum Theologiae, rogatus à suo Rege in re magni momenti, ad Regni sui incolumitatem spectante, citans Sacram Scripturam, aliter citaret, quam esset in Bibliis, immò contrariū prorsus quam esset in textu citato, haberetur pro ignorante; & rideretur, & præberet materiam sermonum in recreatione, & traduceretur pro tali per Collegia, & per totam Prouinciā, vel per occultas schedas, vel alio modo. Atqui ita ad instantiam Herodis Regis, citatus est locus Michæe Prophetæ, ab omnibus Principibus Sacerdotum & scribis populi Matth. 2. v. 5. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda*, cum tamen Michæe 5. v. 2. contrarium scriptum sit: *Et tu Bethleem, paruulus es in millibus Iuda*. Nec tamen inuentus est vllus censor, qui censuraret hoc responsum datum Regi, tanquam contrarium textui allegatum. Imitemur saltē Iudæos Christi inimicos, in abstinendo à censuris aliorum, etsi videamur habere manifestam causam & iustam improbandi aliena dicta & facta. Sed mirum non est, illos Legis Doctores esse hallucinatos in citatione Scripturæ, mirabiliora habemus dicta Spiritus S. plurima in Sacra Scriptura, ab omni prorsus falsitate aliena, & piâ interpretatione digna, quibus si prorsus similia à nobis dicerentur vel scriberentur, non obtinerent bonam interpretationem, sed grauissimè censurarentur. Adferam adhuc vnum vel alterum exemplum.
- Legimus à Spiritu S. dictata hæc verba ad Hebr. 9. v. 4. *In arca testamenti erat vna aurea, habens Manna, & virga Aaron, qua frondebat, & Tabula Testamenti*. Atqui idem Spiritus S. veritatis infallibilis, contrarium dictauit in Sacra Scriptura veteri, hoc est, in sua ad nos epistola sic enim appellat Sacram Scripturam S. Gregorius, & alij PP. Nam 3. Reg. 8. vers. 9. legitur scriptum: *In Arca autem non erat aliud nisi dua Tabula lapidea*, cum tamen ad Hebr. 9. dicantur tria alia ibi fuisse reposita, scilicet, *vna aurea & Manna, & Virga Aaron*. Sicut ergo piè interpretamur verba Spiritus S. etsi in speciem videtur sibi contraria, ita similes locutiones humanas bene interpretari debemus, etsi videantur falsi continere speciem, quia non tenentur homines, nec esse possunt tam accurati & circumspecti in loquendo & scribendo, sicut est Deus, aut est Scriptura S. à Deo dictata.
- Alterum Motiuum, ad fugiendas malas rerum alienarum interpretationes ac censuras, est, exemplum demonum, inter quos eæ non vigent. Non putauit Christus Dominus, suo ore indignum petere argumentum ad refutandos Iudæos, suam doctrinam & vitam & miracula inuadentes eosque redarguere exemplo & consuetudine demonum, inter quos non est dissensio, ut hinc potestatem eiciendi demonia quam habebat, ab iis Principi demonum



norum adscriptam defenderet. nec mihi vitio verti debet, si consuetudine dæmonum à mutis censuris, & malis interpretationibus immunium, coner persuadere, ab iis vt abstineamus, sicut illi abstinent & omnibus suorum sociorum factis & conatibus applaudunt, ne hac in re peiores diabolis simus & habeamur à Deo. Nam si exemplo Ninivitarum vsus est Christus ad reuocandam à sua impietate perfidam illam nationem cum dixit: *Viri Ninivita surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia penitentiam egerunt in predicatione Ione Matth. 12. 41.* Multò efficacius notium esse debet ad absterrendos feruos, & filios Dei, Deo dilectos, à malignà interpretatione alienorum dictorum & factorum, & intentionū, & omissionū, ne illis Christus Dominus in particulari iudicio vel vniuersali exprobrat, diabolos eis fuisse hac in re meliores, quod suos socios infernales, nullis sinistris impeterent interpretationibus & censuris, sed omnia benè interpretando eos potius animarent ad res quidem malas & execrandas, tales tamen ex quibus nos discere possumus, more bonarum apum, etiam ex infernali veneno bonum succum exugere, & salutarem pro morum nostrorum directione. Quod tantò magis nobis faciendum est exemplo S. P. N. Ignatii, qui vt de eo scribit Maffeus in eius vita libr. 3. cap. 11. *miræ solertia fuit in sollicitandis mortalibus, & à diaboli seruitute ad Christi obsequium traducendis: ac quibus artibus demon ad animarum perniciem vti- tur, easdem ipse quoad liceret ac fas esset, ad hominum salutem ac beneficium transferebat.* Quo suo exemplo S. Pater nos docuit, posse nos etiam ex dæmonibus proficere, conuertendo eorum consuetudinem ad bonum quâ illi abutuntur ad malum: siquidem omnes creaturas Deus ob tres fines condidit vt reuelauit B. Mariæ Magdalena de Pazzis, *ad necessitatem, ad recreationem, & ad instructionem nostram: vt scribitur in eius Vita.*

36. Dauid cum Abiathar Sacerdote damnati fuissent vt sacrilegi, quia ille huius permisso comedit panes propositionis 1. Reg. 21. v. 6. quibus vesci licebat solis posteris, Aaron diuino ministerio addictis, Exod. 29. v. 32. 33. Leuit. 8. v. 31. c. 24. v. 4. Quo etiam factò Christus coactus est defendere temerè à Iudæis iudicatos Discipulos suos Matth. 12. v. 4. quod spicas vellerent die Sabbati. Idem Dauid posset à Censore damnari tanquam lasciuus, quia habuit vxores decem, seu vt eas appellat Scriptura concubinas 2. Reg. 15. v. 15. Haberet pro se legem Dei id vetantem exprèsse Regibus, Deut. 17. v. 17. Adderet authoritati rationem bonam suo iudicio, & inexpugnabilem, scilicet, quod non esset causa tam multarum vxorum quarum plures initio mundi videbantur necessariæ ob propagationem generis humani, sed tempore Da-

Lancij Opus, Tom. 22

uid erat nimium propagatum genus humanum, siquidem eius tempore solt milites de Israël erant recensiti iussu Dauidis mille millia, & centum millia: de Iuda autem quadringenta septuaginta millia 1. Par. 21. v. 5. quanquam non ex omnibus tribubus vt dicitur ib. v. 6. essent numerati. Si tot milites? quid alij? quid pueri? quid fœminæ? quæ ergo necessitas tot vxorum? O lasciuum, ô effœminatum, diceret censor.

57. Plus posset taxari tanquam malè mortuus, & forte in peccato, quia videtur spiritu vindictæ, moriturus iussisse occidi Semei ob maledictionem qua ab eo fuit olim affectus 3. Reg. 2. v. 8. 9. *Habes apud te Semei qui maledixit mihi maledictione pessimâ, sed quia iuravi ei per Dominum, non te interficiam gladio, tu noli pati eum esse innocuum, vir autem sapiens es, vt scias qua facies ei, deducesque canos eius cum sanguine ad inferos.* O quot res Censor malignus hic damnaret: *Primò*, memoriam iniuriæ: *Secundò* vindictæ Spiritum, quia iussit eum occidi: *Tertiò*, peritium: iurauit enim, & tamen vult occidi à filio, opponeret statim excusationi, quod per alium occidi voluit & diceret illud Philosophi: *qui est causa cause, est causa causati*; diceret illud iuris dictum: *Qui facit per alium, per se ipsum facere videtur.* *Quartò*, notaret astum quod insincerè processerit, iurando se eum non occisurum, id est, per se, & tamen occisurum per alium: *Quintò*, notaret artificiosam orationem & adulatoriam: quod scilicet laudari filium vt sapientem, vt ei facilius persuaderet quod volebat. *Sextò*, notaret cor tyrannicum, in modo loquendi crudelitatem spirante. *Deducesque canos eius cum sanguine ad inferos.* *Septimò*, notaret eius hypocrisim & fictam humilitatem seu patientiam, diceret enim: & vbi sunt illa pia, & humilitatem redolentia verba, quæ protulit Semei maledictione audita 2. Reg. 16. v. 10. *Dimitte cum vt maledicat; Dominus enim precepit ei vt malediceret Dauid. & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* *Octauò*, notaret eius inobedientiam erga Deum, quod eius voluntati resisteret ex cuius decreto antea putabat illam maledictionis pœnam fuisse profectam. Et tamen certum est, Dauid non animo tyrannico, non vindicatio, non tam malo vti vidimus id fecisse, sed zelo iustitiæ, sed propter bonum Semei, propter exemplum aliorum & horrorem peccati quod contra Superiorum authoritatem admittitur: quia alioqui tam mansuetus erat Dauid, idque ostendit sæpe, vt meritò vel ille ipse candidè Deum alloquens (si ipse est author huius Psalmi, vt esse putant SS. Basilii, Nyssenus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Euthymius Remigijs, Innocentius in Psalmos scribentes, & alij, vt S. Ireneus libr. 4. c. 57. Iustinus apolog. 2. Euaristus Papa ep. 2. Tertullianus l. de spect. c. 3.) vel si quis alius, meritò in-

Ggg 3 quana



quam dicere poterat Deo, volens eius flectere misericordiam, quod dicitur Psal. 137. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius.* Non sunt vindictæ, non sunt crudelitates, non; quædam quæ vel à Magistratu ordinantur in poenam aliorum, quia non tantum ommissio punitionis debita (quod esset manus peccatû) sed sola ommissio maioris punitionis, sola mollis puni- tio & leuis, cû esse deberet grauior, est graue & Deo exolum peccatum.

58.

Ponderate mirabile illud Dei decretum 1. Reg. 3. v. 13. 14. *Prædixi ei, scilicet Heli, quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eod quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos idcirco iurauit dominus Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum.* Mira res. & tamen 2. v. 23. 24. 25. scribitur ista Heli dixisse filiis: *Quare facitis res huiusmodi quas ego audio, res pessimas ab omni populo?* Notate, Deus loco citato vocauerat res indignas, hic autem Heli vocat eas acerbiores, & magis significante vocabulo: *Res pessimas,* & tamen Deo vitus est non corripuisse filios! Deinde perterritus: *Nolite filij mei, non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatu populum Domini, si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? & non audierunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Vbi præterea notate, non tantum improbasse scelera filiorum suorum Heli, sed etiam aliquot rationes adduxisse in medium, vt iis permoti desisterent à peccando. Et idèdè meritis S. Basilii in Reg. breu. in- terrog. 47. Heli, inquit, nequaquam dissimulanter tulit scelera filiorum suorum, & sepe illos ab eo deter- rere fuit conatus, ac longiore oratione & magnitudi- nem sceleris, & necessitatem inuitabilis iudicij de- monstrauit. Et S. Nazianzenus orat. 1. ait, filiorum impietatem Heli, non modò non probasse, sed etiam per sepe ipsos obiurgasse. Deinde peccatum eorum videtur attribui negato eis diuino auxilio, & permissioni diuinæ: *Quia voluit Dominus occidere eos, & tamen Deus dicit: Quod non corripuerit eos, quomodo non corripuit, si ita corripuit vt audiimus? Scitis causam, ideo dicit eum non corripuisse, quia non tam seuerè, vt pat erat, corripuit. Debebat enim eos ferire, ait S. Gregorius 2. p. Past. c. 3. Debebat eos abicere, inquit S. Hiero- nymus lib. 1. contra Pelag. & lib. 1. aduersus Iouin. Debebat eos à conspectu suo remouere, & exheredare, & verberibus afficere ait Theodoretus q. 10. in 1. Reg. & Procopius ibidem ait, debuisse eos post vnam & alteram monitionem, è sacris locis, seu claustris exturbare.*

59.

S. Chrysostomus hom. 29. ep. Rom in morali notat Davidem vt suum peccatum amplifi- caret 2. Reg. vlt. vsu esse nomine pastoris: *Ego qui pastor sum peccauit, quasi dicat, etiam si illi peccassent, ego tamen qui illos non correxi, supplicij reus essem.*

Debebat maiorem zelum contra ipsos de- monstrare ait S. Basilii orat. 7. de peccato & lo- co supra cit. *Quia inquit, non meritis de illis poenam sumperat, neque eo modo quo equum erat aduerum ipsos indignatus fuerat, vsque eo Dei iracundiam ir- ritauit, vt & populus vna cû filius ipsius intermicio- ne absumptus sit. & Arca ipsa capta in hostium pot- estatem deuenerit, & ipse miserabilis exitu vitam ter- minauerit.*

Reprimebat quidem Heli filios, inquit S. Chry- sost. tom. 3. in illud. *Vidua eligatur, atque prohibe- bat, sed non tantà cum diligentia & vehementi- quanta opus fuit. Cum enim flagris cadere debuisset, domo paterna eicere omnem correctionis modum ad- hibere, cohortabatur solum & conuulserat, ita dicitur. Ne filij ne ita faciatis: quoniam non bona audio quæ audio de vobis. Quid ais: Deum iniuria affecerunt, & filios appellas: propterea dicit eum non admonuisse il- los: admonitio enim est, si non vtiunque consilium de- mus, sed vehementius & acrius. & si quantum valen- tis requirit vlcus, tantam plagam infligamus. Non er- go sufficit, si solum dicamus, sed & multum incutere timorem oportet, vt inuentus desiderium exquirat. Quoniam igitur hortabatur ille quidem, sed non vt oportuit hortabatur, hostibus illos exposuit, & exonia prælio ceciderunt in acie, cumque nuncium ferre non posset, cadens & ipse, confractus est & interit. Vbi meriti à me dictum fuisse, liberorum esse parricidas, qui negligentes liberos acriter non castigant, neque à illis debitum Deo cultum exigunt. Sic nimirum Heli factus est parricida. Licet enim filios eius hostes occide- rint ille tamen cadis auctor fuit, quod suà circa eos ne- gligentia. Dei auxilium ab illis auerterit, & iudex ad desertos eis, qui necare vellent, obiecerit. Neque vni- solum ipsos sed & seipsum cum illis intererit. Imp- sum nunc quoque plurimis Patribus euenit, quia ver- berare noluerunt, nec verbis castigare neque corripi- stare liberos inordinatè atque inique videntes.*

Immo ad penas inferni damnatus est Heli, iudicio S. Augustini l. 17. ciu. cap. 4. S. Gregorij l. 2. c. 7. in 1. 1. Reg. & 3. par. Past. c. 6. Eucherij & Bedæ.

Quia, ergo David similem ob causam seue- rè puniri Semei præcepit, benè fecit. Hinc dis- cite (vt hoc obiter dicam) non damnare Super- iorum mandata, dum solito grauiore pena afficiunt delinquentes; cogit eos amor iustitiæ, cogit amor disciplinæ religiose, cogit amor fratrum. Vnde cum B. Aloysius Bertrandus in- signe decus sanctissimi Ordinis S. Domini de- nostræ societatis dum viueret tempore S. P. N. Ignatij Patroni us ac defensor, rogaretur, cur tam seuerè lenes subditorum suorum defectus castigaret: respondit, vt seueriores purgatorij penas euadant. Benè ponderabat hoc vir valde san- ctus: quia si pro vno verbo otioso hic non pur- gato, penas purgatorij subeunda sunt, qua sunt omnibus huius vitæ tormentis simul iun- ctis acerbiores, quid mirum est, quandoque non leuiter multari lapsus nostros? Si quis nunc pro



pro vno verbo otioso, præscriberet publicam in triclinio diuerberationem, crudelis, tyrannusque haberetur, & tamen vna verberatio collata cum purgatorij igne etiam lenissimo, est instar ignis picti collati cum vero igne. Ita Deus crudelis non est, qui etiam otiosa verba illo igne expurgat. Non videantur ergo nec iudicentur temerè tanquam crudeles illi Superiores, qui delicta nostra puniunt, qui nobis peccantibus irascuntur & tristantur. *Irasci peccanti*, inquit S. Augustinus lib. 9. de ciuit. cap. 5. *ut corrigatur; contristari pro afflictio, ut liberetur: timere periclitanti ne pereat; nescio vtrum quis sanè consideratione reprehendat.* Hæc pro excusando mitissimo Dauide, & fraterna correctione Censorum, attuli.

61. Omitto alias Sanctorum magnorum actiones quæ possent dente maligno arrodi. Illum candorem Ezechia Deum alloquentis 4. Reg. 20. v. 1. 3. *Obsecro Domine memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto. & quod placitum est coram te, fecerim.* Quod temerarius iudex, superbiæ, arrogantia, iactantia, præsumptioni adscriberet. Deus tamen his eius verbis auditis decretum suum per Isaiam ei intimatum de morte eius statim subsecutura, reuocauit, & ad 15. annos vitæ illius prorogauit, & promissionem suam miraculo confirmauit.

62. Omitto zelum Elia qui etiam non appellatus iniurioso titulo, sed *Homo Dei*, igne caelesti 100. homines necauit, 4. Reg. 1. quod impatientia eius, lingua temeraria & blasphema attribueret possit.

63. Omitto iustam Elisæi seueritatem, qui à pueris vocatus *caluus*, qualis verè erat, diuinitus penam seueram contra eos impetrauit 4. Reg. 2. v. 23. 24. quod malignus à colerâ & furore profectum diceret.

64. S. Pauli Apostoli quanta fuerit sanctitas, scimus, & tamen non tantum eius vita à nonnullis condemnabatur, sed etiam doctrina; hinc enim factum est, quod nonnullas eius epistolas non admiserint quidam, tanquam non profectas à Spiritu S. Nam ut scribit S. Hieronymus præfat. in ep. quæ est ad Philemonem dicebant, *non semper Apostolum, nec omnia Christo in se loquente, dixisse; & fuisse aliquod tempus, in quo Paulus dicere non auderet: Vno iam non ego, viuit verò in me Christus, & illud: An experimentum quaritis eius qui in me loquitur Christus: Quale inquit experimentum Christi est audire: Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer.* Et illud ad Galatas: *Vnam excindantur qui vos conturbant, & in hac ipsa ad Philem. Epist. Simul autem & prepara mihi hospitium.*

Omitto innumera alia exempla sacratum actionum in quibus apparuerunt similes illis actibus quos nunc temerè in aliis damnamus. Vide S. Chrysostomi tom. 4. sermonem in illa verba. Cum autem subiecta illi fuerint omnia,

præclare dissentis, quomodo & Christus & Apostoli, non semper locuti sunt eodem modo, & se accommodauerint hominibus, & videntur quasi in speciem pugnantia locuti. S. Ioannes videri posset iniquè Censoribus vanus, quod solus de se scripserit non alter Euangelista se prius præcurrisse ipse Petro ad sepulchrum, & prius accessisse. Ioan. 20.

O quoties nos condemnamus simili spiritu etiam Superiorum Ordinationes! quoties eos tanquam partiales damnamus, quia non procedunt æqualiter cum omnibus, quibus non omnibus omnia communicant, sed tantum certis personis. *Sed ignoscite fratres Patresque* inquit S. Theodorus Studita ser. 116. *non omnibus semper sas detegi negotia est, nec nisi fratrum primoribus, quod ab ipso D. N. Iesu Christo docemur, qui tunc Sanctis omnibus Discipulis caelestis regni aperit arcana, nunc assumptis Petro Iacobo, ac Ioanne, iis solis exhibet spectacula.* Vetant aliquando Superiores aliqua, quæ vel externi vel domestici petunt: negant aliqua; ne quid fiat tali tempore & loco: siue ne quid profus fiat, vetant aliqua; puniunt aliqua quæ non videntur punienda; dicunt aliqua quæ non videntur dicenda; faciunt aliqua, quæ non videntur facienda; iubent quæ non videntur iubenda; (hæc enim ab imperfectis, ut mala in Superioribus notari solent communiter) non impediunt aliqua quæ videntur impedienda; non puniunt quæ videntur puniendæ; statim iudicia insurgunt. O crudelitatem! inhumanitatem! viscera non uercalia! ô stultiam! & non considerant Superiores id facere, vel quia ita iussi sunt facere à maioribus, quod tamen non dicunt, ne in illos coniciant inuidia; non considerant, quod Superiores vel ab experientia, & iudicio naturali certo, vel à peculiari diuino lumine (quod si Caiphæ de Christo prophetanti non defuit; solet quando Deus vult, Superiori Euangelico, qui non est peior Caiphæ, communicari) edocti, vel ex occultâ diuinâ prouidentia, Superiores etiam id non aduertentes, dirigente ad vetanda, vel non cedenda, vel iubenda quædam, moti, variâ vetant, negant, iubent: & ideo aliqui scioli, tanquam res vel casu, vel malè veritas, negatas, ordinatas, damnant. Non rectè. Si Christi loco haberemus eos: si eorum iudicium & voluntatem pro regula nostri iudicij & voluntatis haberemus; si crederemus ita nos conformandos exactè primæ ac summæ Regule omnium bonæ voluntatis & iudicij, quæ est æternâ bonitas, & sapientia, uti præscribit Reg. 31. Summ. non diceremus sic; probaremus omnia, excusarem omnia, reiceremus omnia in diuinam prouidentiam, & crederemus id quod Reg. 30. Summ. habet: *Quisque sibi persuadeat, quod qui sub obedientia viuunt, se ferri ac regi à diuinâ prouidentia per superiores suos sinere debent, proinde ac si cada-*



uer essent, vel senis baculus &c. Et nisi ita fiat, non est sperandum illud bonum in Religione, ob quod assequendum, hunc Statum amplexi sumus. Sicut enim in Philosophia, qui non credit principis Philosophicis, non erit bonus Philosophus; ita qui in Religione practicè non credit, id est, non se dirigit iuxta Religionis suæ prima principia, non erit bonus Religiosus.

66. Primum principium nostræ Religionis inter alia est: sequi directionem Superioris quàm latè: in omnibus vbi cunque peccatum non cerneretur, vt dicitur Reg. 31. Quomodo: integrè, promptè, fortiter. & cum humilitate debita sine excusationibus, licet difficilia. & secundum sensualitatem repugnantia iubeat. Tantumne exterius non: verùm etiam conentur interiùs resignationem, & veram abnegationem propria voluntatis, & iudicij habere, voluntatem ac iudicium suum cum eo quod superior vult ac sentit, omnino conformantes.

Nolite carissimi existimare, crudelitatem esse, quod aliquando negentur res parvæ, & quæ videntur necessaria. Coguntur id Superiores facere, vel propter tuum bonum, vel propter aliorum: coguntur, vel vt te à malo præseruent, vel alios. Parua res videbatur lusus Ismaëlis cum Isaac: quid enim mirum est pueros ludere non parua tamen visa est Deo, qui non contentus vetare lusum, voluit etiam eos habitatione separare: voluit etiam matrem Ismaëlis expelli, vt tantò securior esset Isaac à malis, quæ impendebant ex lusu cum Ismaële. Ita planè euenit in Religione. Sæpe enim Superiores prævident pericula, modis supradictis, & non permittunt quædam, quæ si permitterent, nolentes inducerent in perniciem subditos. O si liceret palam & clarè loqui, quomodo nonnulli non credentes Superiorum iussui, contemnentes eorum monita sæpiùs iterata, in rebus quæ parvæ videbantur, delapsi sunt ad ea, quæ non putabant, quæ postea facti sunt ipsi, alij verè seueriùs tractati, hoc modo experti sunt, se præseruatos à magnis malis, & gratias mihi egerunt.

67. Ego sanè, etsi semper cum simplicitate credidi, à Deo peculiari ratione Superiores regi, ideoque eorum Ordinationes, etiam difficiles, & nostræ libertati repugnantes caras habui, tamen nunc in hoc officio practicè id experior, & quasi manibus palpo, multa, quæ casu videntur contingere, ex peculiari diuinâ directione, me non nisi post factum hoc aduertente, accidere, & ad meam notiam venire, & à me ordinari, quæ nisi ordinata fuissent, graua mala secuta fuissent, & secuta sunt, dum non sunt seruata ea quæ ordinata fuerunt. Sed etsi prudentissimè ordinentur res, accidit id quod ait S. Thomas 2.2. q. 70. a. 2. ad 3. *Homines qui habent de aliis iudicare, sæpe propter iustitiam multos aduersarios habent. Vnde non est passim credendum*

contra eos, nisi magna multitudo conueniat. Et art. 3. in corp. ait de subditis seu illis quibus imperari potest, *probabile est, quod de facili possunt induci ad testimonium ferendum contra veritatem.*

Ex his omnibus discamus hoc vitium fugere duorum memores. Primum, illius dicti naturalis lumine notum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quod tibi vis fieri, alteri feceris.* Nolumus nostra verba, scripta, facta, temerè iudicari: volumus ea in bonam partem semper accipi, etiam si quandoque trahi possint in malam: idem aliis præstemus, alioqui verus erit sermo Domini, *Quæ mensurâ mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Credite mihi ita fiet. *Iustus est Deus, & recta iudicia eius.* Possum huius rei, & diuinorum iudiciorum exempla domestica & recentia, quæ meâ memoriâ contingerunt, proferre, quomodo Deus permittit seueros morum alienorum iudices, labi in multo grauiores defectus. Id nobis quoque ne contingat, caueamus. Alterum quod meminisse debemus, est, si quando videmus vel audimus res nostras daminari sine causâ ab aliis, ne concidamus animo, nec cretemus talia iudicia. *Videri tuum*, inquit S. Nazianzenus or. de se ipso, *nihil ad nos, non fecit à simonia aliena.* Non ita, inquit, homo multis videri. *Nam quid terra vertiginem patientibus stare videtur? & ebrius, sobrius esse putatur, qui sunt sobrius? & non patitur cum capite ambulare, aut inuerti? Mel autem nunquid amarum est: etiam si agrotantibus quibusdam ac malè affectis ita videatur: non igitur in huius ita se habet, quem admodum videtur patientibus.* Ne italcamur auctoribus malorum iudiciorum, sed potius lætemur, nos eo modo tractati, quo Deus solet tractare carissimos sibi: quia nullus vquam fuit Sanctus Deo valde carus in mundo, cuius mores non fuerint expostii & vulnerati tanquam sagittis, iudicij & linguæ aliorum. Fugiamus ergo malas interpretationes alienarum rerum. Quod si nos pati talia sine iustis à nobis datâ causâ, & innocenter contingat, toleremus id patienter, & solemur nos exemplis magnum Sanctorum qui familia post Christum tot censuris malignis iniquissimè exagitatam, & quidem à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi (quorum erat impedita & punire iniquas censuras) passi sunt. Hinc Christus Dominus: *Beatus*, inquit, *qui non fuerit scandalizatus in me Matt. 11. 6.*

De S. Martino Taronenſi Episcopo scribit S. Seuerus Sulpitius in vitæ eius hinc: *Perè nonnullos experti sumus inuidos virtutibus vitæque eius, qui in illo oderant, quod in se non videbant, & quod imitari non valebant. Atque ô nefas dolendum & ingemiscendum. Non alij fuere insectatores eius, licet pauci admodum, non alij tamen quam Episcopi stabantur.*

S. Franciscus exemplar etſi eſſet eximie & admirabilis sanctitatis, & planè miraculum gratig, ob tam rara & admiranda dona ei concessa



cessa diuinitus, à proprio Generali Fratre Elia, magnas persecutiones passus est, & appellabatur modo suo procedendi & agendi, *destructor Ordinis*, quem fundauerat S. Romualdus, sui Ordinis Fundator sanctissimus, & iam centenarius, publicè in Capitulo Generali, à suis subditis damnatus est tanquam reus sceleris nefandissimi, à Deo igne puniti, & prohibitus ne Missam diceret. Quam confusionem & calumniam, cum patientissimè tulisset, & obediens iniquo decreto, à Missa dicenda abstineret, recreatus est ab Angelo diuinitus misso, & Missam dicere iussus, vti hæc omnia scribit in eius vita apud Surium B. Petrus Damiani.

72. Sic S. P. N. Ignatius ab vno è primis sociis, grauissima passus est: inter alia etiam quoddam Societatem destrueret, & malè gubernaret, & à Paulo IV. Pontifice Maximo habebatur quasi despotice (vti loquebatur P. Laynez) seu vt alij nunc loqui solent discipuli Superiorum iustam disciplinam non ferentes, quasi Tyrannicè gubernasset, vti scribunt Historici Societatis Orlandinus & Sachius, & clarus exstat scriptum in Historia manuscripta, quæ in Archiuo Romano nostræ Societatis afferatur.

74. Quidam Sanctus iam in Sanctorum numerum relatus, ante eius Canonizationem, à proprio eius Confessario, alioqui viro bono, spiritali, & prudente & docto coram me, fuit grauitèr duabus in rebus censuratus, tum quoad sanctitatem, tum quoad eius spiritum Prophetiæ. Nam cum interrogassem eum) vt mihi diceret aliquid edificationis de isto Sancto, Respondit mihi cum quadam indignatione Italicè hæc ipsa formalia verba: Et, non vidi ego in illo tantam sanctitatem: fuit tamen bonus vir: sed spiritus illius non placebat mihi. Quoniam vero spargebatur Sanctum illum prædixisse suæ mortis diem & horam, ipse hoc cœpit coram me impugnare dicens: ego, inquit, cum deberem ire ad talem locum, alij illum, & is interrogauit me, quando essem rediturus Romam: respondi illi, me rediturum intra duas circiter hebdomadas, tunc ille, aliquantulum cogitabundus, dixit mihi: Ergo nos reuidebimus: sed antequam ego Romam redissem, ille, inquit, est mortuus & mortuum ac sepultum inueni. Hæc ille vir alioqui grauissimus, & senilis canitie venerandus.

75. S. Teresia quid non passa est à suis propriis confessoribus: habebant enim illam pro illusa à diabolo, ita, vt aliqui voluerint adhibere Exorcismos ad fugandum ab ea dæmonem, à quo illam putabant esse occupatam: Reprehendebant etiam illam Superiores eius immediati & mediati tanquam phantasticam & extravagantis spiritus, quæ tamen nunc apud alios est in

maiore honore ac veneratione per totum orbem terrarum, etiam apud Sedem Apostolicam, quam quidam alij magni sancti.

76. Scimus etiam quanta passus sit à Nostris præcipuis Patribus & Superioribus P. Balthazar Alvarez, vt scribitur in eius vita etiam per accusationes P. Euerardo Generali factas, redditus suspectus, eiusque iussu à rigido quodam Visitore accuratè examinatus, cuius tamen sanctitas fuit ad eum excellens, vt Deus reuelauerit S. Teresiæ nullum eo tempore in Ecclesia Dei fuisse illi parem in Sanctitate, sed omnestunc viuentes vitæ sanctimonia superare, & eum forte in eo gradu in cælo à Deo prædestinatum: vti scribit in Vita P. Balthazaris eius filius spiritalis noster P. Ludovicus de Pôte c. 21. §. 2. p. 124. & 125.

77. Denique magnum possunt præbere solatium illa S. Gregorij verba, non existimatis illum esse Abel, qui non habuerit contrarium Cain. Omnes enim virtutes acquiruntur & deteguntur rerum contrariarum incursum, si eis non cedunt. Sed nos amore proprio si ducamur, volumus, vt est apud Cassianum Collat. 4. capite 12. initio. *absque castigatione carnis castimoniam obtinere, sine vigiliarum labore cordis acquirere puritatem, cum requie carnis, spiritalibus virtutibus exuberare: absque vltius exasperatione comitij, patientia gratiam possidere: humilitatem Christi, sine honoris mundani exercere iacturam Christo cum hominum laude ac favore seruire.* Exeamus igitur vti monet Apostolus Hebr. 13. 13. *ad Christum Iesum, extra castra improprium eius portantes &c. per gloriam & ignobilitatem, per insaniam & bonam famam, vt seductores, & veraces &c.* Vno verbo, quos Deus amat tam Superiores quam inferiores, si rectè sua obeant munia, ducit ad cælum illa viâ, quâ filium suum Vnigenitum duxit, per tribulationes & Crucis, præsertim, si animabus profint, eas vel à vita mala ad bonam, vel à bona ad perfectiorem ducendo. Ideo vti scribit Ribadeneira S. P. N. Ignatium cum non iuuaret animas, vixisse sine persecutionibus, in magnâ pace & tranquillitate, cum autem se impenderet auxilio animarum, statim solitas exurgere contra illum magnas aduersitates, & nominatim falsarum accusationum, informationum, & calumniarum tempestates, quas tamen progressu temporis, eius innocentia, & ea quam Deus habet suorum cura, dissipabat cum incremento eius bonæ famæ & gloriæ. Quocirca expertus in se, quantopere diabolus inuadat eos iniquis accusationibus, qui Dei gloriam amplificant, præmonuit in Constitutionibus, & Superiores & Inferiores, denique omnes nos, vt simus parati ad hæc diaboli tela generoso corde excipienda, & inuictâ patientiâ repellenda, iisque dæmonis

technas,



technas, tanquam Goliath populo Dei infensum, proprio eius gladio interimendas.

79.

Nam de Superioribus scripsit 9. parte Constit. c. 4. lit. E. Qui curam aliorum habent, inquit, iniuste calumniam à multis pati, varias ob causas possunt. S. Chrysostomus hom. 15. in ep. Timoth. de Superioribus Ecclesiasticis loquens ait: Est linguis innumeris prepositus ad lacerandum, alius culpam alius laudat, alius detrahit, alius memoriam (scilicet in concionando) alius compositionem in sus trahit, magnaque illi constantia, ad ista toleranda opus est. Omnino ita est, experiuntur hoc omnes Superiores, ij præsertim qui peccata & imperfectiones suorum impediunt imperfectorum, & bonos ac spirituales subditos promouent ad meliora. Obseruauerat hoc & S. Gregorius 15. mor. c. 10. Sape, inquit, quia intelligi non valent, deterioribus displicent vel facta vel dicta meliorum: sed eo ab eis non temere reprehendenda sunt, quò veraciter apprehendi nequaquam possunt. Sape aliquid à maioribus dispensatorie agitur, vel præcipitur, quod à minoribus error putatur. Sape multa à fortibus dicuntur, que infirmi idcirco diiudicant, quia ignorant. Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca signauit (2. Reg. 6) quam quia casuram credens Leuites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit. Quid est namque mens iusti nisi arca Testamenti, que gestata à bobus calcitrantibus inclinatur, quia nonnunquam etiam qui bene præest, dum subditorum populorum confusione concutitur ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione permouetur: sed in hoc quod dispensatorie agitur, inclinatio ipsa fortitudinis, casus putatur imperitii. Vnde & nonnulli subditi contra hanc, manum reprehensionis mittunt, sed à vita protinus ipsa, sua temeritate perficiunt. Leuites ergo quasi aliuuans manum extendit, sed delinquens vitam perdidit: quia dum infirmi quique fortium facta corripunt, ipsa viuentium sorte repro bantur.

80.

Quando S. ille senex P. Bernardinus Realinus erat subditus, nullus ei obloquebatur, sed quando ad tempus Vice-Rectoris officium obibat, non tantum domi à linguis maledicis impetebatur, sed etiam per literas Romæ traducebatur, apud P. Claudium Generalem. Antiqua est hæc consuetudo maleuolorum vel teneratorum subditorum. Quis, inquit, S. Nyssenus oratione in eos qui agre ferunt reprehensiones, Moyses fuit melior Pastor: quis Princeps & Rector aque moderatus & mitis, ut omnino fiat populo Educator, Imperator, Sacerdos, ipse denique Pater; in bello conseruus, in solitudine bona præbens, cum terra nec arata esset nec seminata; recte iudicans citra errorem per viam duccens. Hæc autem quidnam est consecutum, tanquam iniuriam faciens, seditioibus fuit agitatus: probris ac contumelias affectus est, tanquam lædens: murmur meum exartum est, non secus atque in eos qui suffurantur, & aliena sibi vendicant. Maledictus est appetitus, tanquam imperitus exercitus Imperator, & qui non recte præset. Venit etiam in

periculum ne ab ipso expelleretur. Sacerdotio, quando Dathan & Abiron & filij Core seditiosa plebs secum à populo abrupta & abducta, contendebant esse Sanctorum prophani Sacerdotes, & inuasum thribula, & Sancta exemplo tractauerunt, & ignem mysticum accenderunt; qui ante suffum eos suffigentes combusit. Et tam facile offensionem incurrit populi administratio, eiusque docendi munus & exercitatio, ut ne Fratres quidem Moyse pepererint, sed & Maria detrahebat & aaron maledictus impetebat. Sed rati- num hoc fuit & irritum; nam ille quidem erat Moyses, & se ipso nihil euasit deterior. Deus autem de illi exegit & iunxit supplicium, pro eorum in suum Deum delictis ac sceleribus. Hæc S. Gregorius Nyssenus.

Alios verò muniuit S. Pater ad ferendas quo animo censuras aliorum, dum (vbi habemus in Regula vndecima Summatij) iussit nos, totis viribus concupiscere & admittere quicquid Christus D. N. amauit & amplexus est & c. in diu- mirum eadem veste ac insignibus Domini sui profusius amore ac reuerentia & c. pati contumelias, falsa testimonia & iniurias; ac stulti haberi & existimari: eo quod exoptent assimilari Christo & c.

Feramus ergo iniquas aliorum censuras, & iudicia nostræ æstimationi contraria, & eo magis, quò proprio nostro amori sunt molesta, Non sentire mala sua, inquit Seneca de Consolat. Pol. c. 36. Non est homini: Non ferre mala sua, non est viri. Si tale est hominis Ethnici iudicium, quanto magis Religiosorum esse debet, qui sunt mundo crucifixi, vti eos appellant S. Ephrem, S. Chrysostomus & alij SS. PP. & qui Christo Duci ac capiti suo se conformare debent, qui talia ut scripsit S. Pater loco citato. Propter maiorem profectum nostrum spirituales induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus quoad eius fieri poterit, diuina gratia aspirante, eum imitari & sequi, cum vera sit via qua ducit homines ad vitam velimus. Nam ut ait Apostolus Re. m. 8. 29. Deus quos præsciauit, etiam prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, scilicet in tolerantis, vti exponit S. August. quæ ipse à iudicis & linguis & manibus aduersariorum suorum passus est. Mart. 27. 63. Seductor ille. Si namque Christo contradixerunt, inquit S. Cyrillus Apolog. ad Theodof. qua nostri habenda erit ratio: Et si contra quem- nis Sanctum structa sunt calumnia, quomodo mimis nos effugeremus. Patiamur ergo libenter censuras iniquas Christi & Sanctorum exemplo, sed alios nemo nostrum censuret, nec det occasio- nem gemituum in Christi domo, iis qui pro illo omnia mundana solatia etiam honesta reliquerunt. Ideo Apostolus Hebr. 13. monet: Ob- dicit Præpositis vestris & subiacere eis & c. ne sitis gementes. Et Eph. 6. 4. Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Et 1. Cor. 12. vltimo: Amu- lamini charismata meliora: & statim cap. 13. sub- dit charitatem commendans: Charitas non cogi- tat mala: In Censuris autem semper præcedit cogitatio.



cogitatio mala &c. S. Dorotheus l. 6. *Qui optant saluari, nunquam curiosi sunt circa minima proximorum delicta, sed circa sua semper occupantur atque ea prædicant.*

82. Sed et si Sanctorum decissent exempla, habemus Christum Iesum Ducem Ordinis nostri, cuius exemplo tam multa sinistra iudicia innocenter passi solari nos possumus. *Recogitate ergo eum, ut monet Apostolus Hebr. 12. v. 3. qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Tantum date operam ut seruetis illud Apostoli 1. Cor. 4. v. 5. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo, quam vti nam in hora mortis nostræ, ex Dei ore audiamus.* Audiamus, si non censurabimus alios, & ipsi bene vixerimus. Hoc profundè menti nostræ imprimentes, quod toties hic inculcatur etiam verba Scripturæ à Spiritu S. dicta, si acciperentur ut sonant, & primâ specie, non minus censura possent iniquâ exagitari quàm verba hominum. Ideo meritò S. Chrysostom. l. 13. in ep. Rom. col. 2. ait: *Nisi cum decenti circumspeditione dictiones ipsas deligamus, & ad Apostoli scopum mentemque attentius respiciamus, fore, ut hinc absurditates infinitæ consequantur.* Et infra col. 9. explicans illud Roman. 8. *Qui in carne sunt Deo placere non possunt.* Dicit, inquit, aliquis, *quidnum corpus nostrum discerpemus, num è carne excedemus. Deo ut placeamus, quid homicidas ne fieri nos censet ad virtutis studium ad se deductos? Vides, quot absurditates enascantur, si simpliciter exceperimus, quæ ab auctore dicuntur?*

CAPVT SEXTVM.

Quinta causa vitandorum iudiciorum temerariorum est

84. **M**ultiplex malitia quæ in talibus iudiciis reperitur, ideoque non parum offendit Diuinam Maiestatem. Sæpe, inquit S. Ambrosius in Apol. post. Dauid c. 1. iudicando, *maius peccatum iudicij est, quàm peccatum ipsius de quo fuerit iudicatum. Si malum est, inquit S. Chrysostomus hom. 24. in Matth. propria peccata non cernere, duplex iam aut triplex peccatum est, iudicare alios, & in suo oculo trahere abque dolore gestare: omne quippe trabe grauius est.* Sed plura sunt peccata in hoc vitio quam tria.

85. **P**rimò enim, ut plurimum hæc iudicia oriuntur ex aliquo defectu contra charitatem, scilicet vel odio, vel auersione animi, vel ira, vel invidia, vel ex omnibus his simul vnitis (quia nõ est insolens hæc omnia simul contra eandem personam in vno reperiri) ac proinde tunc tale iudicium erit multiplici malitiâ maculatum. Quæ non reperitur in eo pectore, in quo est

vera charitas: tum quia *charitas operit multitudinem peccatorum* 1. Petr. 4. v. 8. Immo ut dicitur Proverb. 10. v. 11. *Vniuersa delicta operit charitas:* hæc enim ut ait Apostolus ad Corinth. 13. v. 5. *nõ cogitat malum:* tum quia experientiâ quotidianâ docemur illa ipsa, quæ quandoque improbamus in aliis, nos non improbare in iis quos singulariter amamus; immò quandoque (quod vitio non caret) etiam defectus sic amatorum aut laudamus, aut saltem excusamus. Quare si omnes, vti par est, amaremus sincerâ & perfectâ dilectione, nullum temerè iudicarem, & condemnarem. *Qui iudicat fratrem* Jac. 4. 11. *iudicat legem:* quia inquit S. Thomas 2. 2. q. 74. a. 2. ad 3. *contemnit præceptum de dilectione proximi.*

86. **S**ecundò, Iudicia temeraria oriuntur ex superbiâ omnium malorum radice: vbi enim est solida humilitas, efficit, ut homo meliores se iudicet alios, & res alienas suis anteponat, immò potius, ut S. Bernardus & alij SS. Patres aiunt: *Homo sibi ipsi vilescat,* qui autem talis est, nullum ut imperfectum damnat, excusat omnia, quantum potest.

87. **T**ertiò, ex leuitate animi & præcipiti consilio, temeraria iudicia oriri solent: qui enim grauius & maturè facta aliorum considerat, non difficile inuenite potest ea, quæ faciant ad excusationem, non verò ad vituperationem & condemnationem, ideoque ut plurimum temerè iudicantes alios, & facile condemnantes, pro leuibus haberi solent ab aliis, vti verè esse solent.

88. **Q**uartò, oritur nõn rarò iudiciorum temeritas ex irreuerentiâ, seu defectu debitæ obseruantie, quos enim piè obseruamus, non tantum exterius, sed etiam in animo non audemus in facta eorum nostris iudiciis laxare habenas, secus fit, dum aliquem contemnimus.

89. **Q**uintò, oriuntur ex ignorantia sui. *Miser homo,* inquit Deus Pater S. Catharinæ Senensi in dial. c. 93. *semetipsum ignorando, vult agnoscere proximum & iudicare eum & afflictum proximorum: & ex quadam operatione, siue minimo verbo, statim inconsulte damnabiliter iudicat ea quæ sunt hominibus occultæ, sed amici mei semper iudicant in bonum, quia fundati sunt in me summo bono. Huiusmodi verò miseri semper iudicant in malum, quia fundati sunt in miserabili malo.*

90. **S**extò, quæcunque tandem origo talium iudiciorum sit, ea sunt contra iustitiam. Sicut enim infamare aliquem, narrando aliquem defectum alterius non certum, est actus iniustitiæ, in sententia omnium Doctorum, idque nõ aliam ob causam, nisi quia hic actus tollit estimationem bonam de alio; ex mentibus aliorum, ad quam infamatus habet aliquod ius, quod est iustitiæ obiectum, ita qui apud se etiam solum interius temere iudicat alterum, tollit ex animo suo bonam estimationem, ad quam



vers. 3. quorum viginti duo milia cecidit. Et cap. 10. pugnavit cum Ammonitis v. 6. 7. 8. qui in suo exercitu contra David habebant 20000. peditum, & 13000. virorum. Et iterum pugnavit cum Syris v. 17. ex quibus occidit 700. curus & 40000. Equitum, & fugavit 8000. ex residuo exercitu. Præter hæc non habuit requiem à proprio filio, qui eum (quod alij hostes non fecerunt post Saulis mortem) in fugam coniecit 2. Reg. 15. 14. & sequi.

Postea Seba excitavit contra David novam coniurationem & bellum, separatusque fuit hoc modo omnis Israël à David, qui dixit se magis à Seba afflictum quam ab Absalon 2. Reg. 20. 1. 2. 6. Postea iterum Davidem inquietarunt Philistæi bello moto 2. Reg. 21. 15. in quo vitæ periculum ab hosti intortâ subiit vers. 16. Post hæc, novum bellum fuit gestum in Geth contra Philistæos v. 18. Deinde aliud bellum contra eosdem in quo eluxit Adeodatus v. 19. Præter hæc, novum bellum fuit in Geth v. 20. Ita Scriptura hoc solo capite 21. expressit ait quatuor prælia & bella gessisse Davidem, in aliis verò capitibus supra citatis recensentur octo bella. Istane est requies: pugnare duodecies cum tot inimicis, quot nec nunc Augustissimus Imperator noster habet: & tamen Deus verum prædixit, etsi difficultas sit in interpretatione prædictionis diuinæ. Sicut ergo hoc benè interpretamur, & merito, ita interpretemur benè omnia dicta & facta aliorum exemplo B. Aloyij & S. Ignatij infra ponendo.

40. Aliud exemplum habemus Matth. 1. v. 17. vbi S. Evangelista Matthæus, texens Genealogiam Christi, ait: *Omnes generationes à David vsque ad transmigrationem Babylonis fuisse 14. cum tamen ex l. 4. Regum 8. 24. & ex c. 11. 2. & ex c. 12. 21. & ex c. 14. 21. & ex 1. Par. 3. 11. 12. & ex 2. Paral. 26. 1. evidenter constet, generationes à S. Matthæo citatas non tantum 14. sed 17. fuisse, quia tres omisit. Nam etsi Matthæus versu 8. dicat à Ioram fuisse genitum Oziam, tamen aperte constat ex locis iam citatis, à Ioram non esse genitum Oziam, sed Ochoziam; ab Ochozia verò genitum esse Ioram: à Ioram genitum esse Amasiam, ab Amasia genitum esse Azariam: qui alio nomine vocabatur Ozias, 2. Paral. 26. 1.*

41. Si quis nunc scribens ad aliquem, scriberet, se esse dilectum Dei, iactantia id adscriberetur, at S. Iohannes non semel de se dicit in Euangelio, à se scripto pro totâ Ecclesiâ, non pro vno particulari: *Hic est Discipulus, quem diligebat Iesus.* Nec vllus id ægrè tulit.

42. Sic, si quis nunc alicui diceret, quod Paulus dixit Elime Mago Act. 13. 1. 10. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitie, non desinu subvertere vias Domini rectas &c.* Deus bone, quas non subiret censuras, si ergo eiusmodi facta & dicta, non merentur vllam

reprehensionem, nec similia improbari debent, si ab aliquo nostrum proficiscerentur, nec enim possumus & tenemur esse sanctiores Christo & Apostolis eius, & esse magis circumspecti in loquendo quam illi.

Si quis nunc diceret, se totâ vitâ nunquam deliberatè peccasse, vel si quis in publica concione diceret, de se, quod virginitatem illibatam Dei beneficio conservaui, condemnaretur tanquam superbus, & se ac sua iactans. Hoc vtrumque dixit, primùm Romæ P. Rectori Collegij Angelici; secundò in publica concione Capuæ in Cathedrali templo, Cardinalis Bellarminus, quam ob rem, cum fuisse scandalizatus quidam Canonicus, Deus volens ostendere, benè id & cum gustu Dei dixisse Bellarminum, splendore caelesti eius faciem irradiavit; quo viso Canonicus, suum sinistram corripuit iudicium, & hoc iururando testis est, in Processu pro Canonizatione Bellarmini, factò auctoritate Apostolicâ in quo id legitur confirmatum etiam ibidem testimonio alterius, scilicet Superioris PP. Theatinorum.

## CAPVT QVINTVM.

*Ostenditur alijs exemplis & dictis sanctissimis Dei, & Christi Domini, ac sanctorum, omnia esse benè interpretanda, & excusanda, nisi sint manifestè mala.*

SI quis nunc videret vel Superiorem in Domicilio, vel Procuratorem in pago vel Concionatorem aut Præfectum templi in templo, vel Præfectum Scholarum aut Magistrum in Schola, vel cocum in culina arrepto aliquo fine, inuadentem alios, & euerentem mentes & citas, & expellentem alios, condemnaretur tanquam impatientissimus, & intollerabilis. Atqui Christus Dominus, qui de se dixerat Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde:* simile quid fecit, quando Iohannis 2. vers. 14. & 15. Templum ingreßus, factò quasi flagello de funiculo omnes vendentes oves & boues & columbas (etsi essent res necessariae pro sacrificiis) eiecit oves quoque & boues & nummulariorum effudit eas & mensas subuertit. de quo tamen prædixit Iaias, *linum fumigans non exinguet, arundinem quassatum non confringet, nec audietur in plateis vox eius c. 19. 9. Qui auctus, etsi solent esse in hominibus effectus magnæ impatientiæ & ira &c. in mortificatarum passionum. Discipuli tamen Christi, edocti benè interpretari omnia, quæ admodum ibidem scribitur v. 17. *reuerati sunt eius, quia scriptum est (Psal. 68 v. 10.) zelus domus tue comodat me.* Sunt enim multi actus prolixi similes, in exteriori specie, qui & à virtutibus & à vitis proficiscuntur, vbi tamen Christiana viget charitas, quæ vt ait Apostolus 1. ad Corin.*